



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Constitviones Ex Concilio Petri Archiepiscopi Senonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

C O N S T I T U T I O N E S  
E X C O N C I L I O  
P E T R I A R C H I E P I S C O P I S E N O N E N S I S .

I.

Petrus II.  
archiepisco-  
pus 72. ob-  
it anno  
1221.

**S**TATVIMVS vt aduocati iurent de calumnia \* de cete-  
ro , in causis tam inchoatis quam inchoandis , aut non  
admittantur ad eas tractandas.

II.

Si aliquis per annum & diem excommunicationem  
publicam sustinuerit , compellatur potestas sacerdotalis , vt  
excommunicatum ad unitatem ecclesiae per suam pote-  
statem venire compellat , mittendo manum in ipsum &  
res eius.

III.

Statuimus ne prior , nisi conuentualis , ultra summam  
quadraginta solidorum ab aliquo , sine licentia abbatis sui ,  
vel episcopi sui , si remotus fuerit abbas , mutuo pecu-  
niā accipiat : quod si forte fecerit , abiiciatur a prioratu ,  
nec denuo valeat prioratum adipisci , quo usque per Con-  
cilium prouinciale fuerit restitutus .

IV.

Eidem poenæ subiaceat prior , qui quamcumque sum-  
mam pecuniaꝝ receperit a Iudeo .

V.

Statuimus vt abbates , priores , & alii obedientiarii , de  
singulis prouentibus & reditibus & expensis computent  
singulis annis diligenter in capitulo . Et vt statuta ab-  
batiarum quam prioratum a claustralibus cognoscatur ,  
computus in scriptis redigatur , ita quod conuentus penes  
se retineat unum scriptum , & abbas aliud .

VI.

Nullus abbas mutuo recipiat pecuniam , sine capituli  
sui , vel maioris & sanioris partis conuentus licentia , ultra  
summam ab episcopo suo taxandam secundum monaste-  
rii facultates : qui contra fecerit , per episcopum suum pu-  
niatur .

VII.

Præcipimus abbatibus & aliis religiosis , vt ipsis vestibus

8

& calceamentis ordini suo congruentibus vtantur. Et si abbates in his obseruandis seu corrigendis fuerint negligentes, per episcopos suos puniantur.

VITA ET EPISTOLÆ

HONORII PAPÆ III.

ANNO  
CHRISTI  
1216.

**H**ONORIVS III. cui Cencii nomen fuerat, Romæ ex clarissima gente Sabella prognatus erat, ex came- rario sanctæ Romanæ ecclesiæ anno Domini 1216. xv. Kalendas Augusti altero die post obitum Innocentii sub imperio Friderici II. in pontificem Romanum electus est. Reuelatione sancti Petri, vt vulgo credebat, instrutus, publice futurum prædicebat ciuitatem sanctam Ierusalem breui recuperatum iri. Quorum ore, ait Vrspergensis, pluri- mi Romanorum & Germanorum excitati Crucem contra Saracenos fumperunt. Robertum Petri filium orien- tis, Fridericum I. L. occidentis imperatores coronauit, qui immemor accepti beneficij, contra ius & æquitatem ditionem pontificiam vexauit, profectusque Roma in Apuliam, vt ait Trithemius in chronico, cum magno suo- rum exercitu multa ibi bella commisit, omnemque ter- ram cum Sicilia suo imperio subiugavit, plurimisque ibi- dem interfectis reliquos suo dominio coegit esse subie- ctos. Ob quam causam ab Honorio excommunicatus, Ioannis Hierosolymitani regis ( quem ad Vrbem delatum honorificentissime exceperat) intercessione, ea lege ab- solutus & ecclesiæ reconciliatus est, vt res ablatas resti- tueret, & ad recuperationem terra sanctæ se cum exerci- tu suo conferret. Prædicatorum & minorum monacho- rum ordines biennio ante mortem sancti Francisci con- firmauit, aduersus Turcas & Saracenos exercitum con- scripsit, eumque comitatu cardinalis Columnæ, aliorum- que principum & regum militibus stipatum in Asiam transmisit. Post restauratas sanctorum Laurentii & Bibia- ñæ ecclesiæ obiit mense Martio anno Domini 1227. cum, ait Vrspergensis, decem annis & octo mensibus ecclesiæ Romanæ præsedisser. Sepultus est in basilica sanctæ Ma- riæ maioris.

Honorius  
qualis &  
quando pa-  
pafactus.

Duorum im-  
peratorum  
coronator.

Fridericus  
Romanæ  
ecclesiæ ju-  
ra inuadit.

Excommu-  
nicatur.

Absoluitur.

Prædicatoro-  
rum & Frâ-  
ciscanorum  
religiones  
confirman-  
tur.

Obitus Ho-  
norii.

Concil. Tom. 28.

Gg